



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ecclesiae Ac Doctrinae Lutheranæ Veritas, Ab  
impugnationibus Novissimorum Papistarum, Præcipuè  
Jodoci Keddii, Nec non Viti Erbermanni, Vindicata**

**Nifanius, Christian**

**Bilfeldiæ, 1673**

Corollaria opposita concilio Tridentino, ejusdemq[ue] sessioni sextæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35616**



*Corollaria opposita concilio Tridentino, ejusdemq; sessioni sexta.*

I.

**S**essione sexta Patres Tridentini dogmata de libero arbitrio, operibus infidelium, Iustificatione, Fide, bonis operibus aliaq; proponunt, sed admodum obscure ac intricatè.

II.

Capite primo & alibi non obscure arguimur, ac si omnem prorsus libertatem tollamus, id quod aperte nobis affingunt *Bellarminus* præfat. lib. de grat. & lib. arbit. *Fevvarentius* in cap. i. *Jacob.* Sed hanc calumniã solidè refellit *Augustana* nostra *Confessio* artic. XVIII. ejusdemq; *Apologia*, nec non *Formula Concord.* art. II.

III.

Multa proponunt Tridentini de ipsa voluntate, de libertate voluntatis à coactione; de qualicunq; ejus libertate in externis, de renovatæ voluntatis libertate, de quibus tamẽ principaliter quæstio non est. Neq; quæstio est, an conversio fiat sine motu mentis, & actione voluntatis: Sed quid illud sit, quod intellectũ hic faciat intelligere & voluntatẽ faciat velle, quæritur; adeoq; *utrum in intellectu & voluntate post lapsum supersit divina cooperatrix quæ per gratiam excitata conversionem operetur.*

IV.

**A**fferimus hominẽ ante sui conversiõnẽ



non habere vires & facultates ulla in rebus  
 spiritualib. nihilq. liberi arbitrii viribus coo-  
 perari possit ad sui conversionem. Contrà  
 Papistæ & cum primis Jesuitæ asserunt naturā  
 homini inesse libertatem & potentiam activam ade-  
 ligendum bonum supernaturale, sed eam impediri,  
 donec Dei gratia naturam adjuvet, impedimentum  
 removeat, facultatem insitam eliciat &c.

V.

Verbis quidem largiuntur Tridentini ad  
 conversionē gratiam praevenientem necessariā  
 esse canone III. Re ipsa tamen talē gratiam  
 tantū intelligunt, quæ vel Ethnicis cōmūnis  
 est, vel exterius saltem offertur, vel conditio  
 sine qua nō est, vel quæ impedimentū dunta-  
 xat amovet & extrinsecus adstat, non quæ  
 efficaciter agat. Etenim disertè dicunt cap. I.  
*Liberum arbitrium minimè extinctum esse, viribus  
 licet attenuatum & inclinatum.* Similiter Canone  
 V. *Liberum arbitrium post Adæ peccatum non est  
 amissum & extinctum* : Sed in conversione  
 Deo moveri & excitari, motumq; & excitatum  
 cooperari assentiendo Deo excitanti atq; vocanti,  
 quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat  
 ac præparet, canone IV.

VI.

Perperam anathema dicitur illis canone  
 VII. qui asserunt, opera omnia ante Justificatio-  
 nem facta, verè peccata esse.